

Ob. 12.

SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica
Kopernikańska
w Toruniu
SCHULPROGRAMME

INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO ROSIANO BRUNSBURGENSE

PER AESTATEM

ANNI MDCCCL A DIE VIII APRILIS

INSTITUENDARUM.

BRUNSBURGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

1850



WYDZIAŁ NAUK

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

~~Stadtbibliothek~~
Ehorn

AB 1472

1 0



LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Uno abhinc fere anno, quum de Ciceronianis et Ambrosianis Officiorum Libris commentationem vobis ederemus, Commilitones carissimi: theologiae christianae et veteris philosophiae inter sese comparandae utilitatem simulque methodum demonstrare voluimus. Sed necessitatem quoque talem, ut vobis ostendamus: jam in praesenti paucis sed idoneis rationibus vobiscum agere, Commilitones, constituimus.

Hanc vero Theologiae Christianae et veteris philosophiae inter sese comparandae perpetuam necessitatem deducimus:

1., ex universa totius generis humani historia et institutione divinâ. — Quodsi Deus est, idemque non ex Epicureorum sententia otiosus mundi contemplator vel ex doctrina Stoicorum servilis mundi agitator, sed si Deus est Christianorum verissima quippe humanissima religione potentissimus mundi creator et moderator ejusdem sapientissimus: non accidit profecto casu vel forte aut temere, ut post ipsam Graecorum et Romanorum disciplinam continuis quibusdam temporis quasi gradibus et articulis ad divinitatem Christianorum ascenderet et adspiraret humanitas. Quid? nonne in ipsa rerum adspectabilium natura et varietate, cujus cum vera religione unus est idemque auctor, genera rerum singula et universa supra et subter unum quoddam totius mundi corpus constituunt? — et una vi et una consensione naturae omnia constricta, nonne omnia referunt unius Dei Optimi Maximi adumbratam imaginem? Quid? nonne S. Paulus, Christianorum apostolus, qui legis olim Mosaicae sectator acerrimus et superstitionis ethnicae tum impugnator tum emendator fuit alacerrimus: nonne definite in epistola Romanis missa pronuntiat et mundani instar praeconis exclamat, Deum verum esse Gentium aequae ac Judaeorum parentem? — Quid ergo est, quod, antequam mundana Ecclesiae Christianae civitas conderetur,

mundanum literis Graecorum et armis Romanorum constitutum fuerit orbis imperium? Hoc Graecorum et Romanorum mundanum imperium, num nullo nexu aut nunine cohaeret cum humanissimo Christianorum cultu? Certe Prudentius, nobilis poeta quarti seculi christianus, libro contra Symmachum, oratorem gentilem altero praeclare disseruit monstravitque, discordes linguis populos et dissona cultu regna quum unico Christi amore divinitus essent consocianda, prius ab ipso Deo constitutum ac concessum fuisse, ut unico armorum jugo subjicerentur.¹⁾ Id actum est, inquit poeta, tantis successibus atque triumphis Romani imperii, ut Christo jam tunc venienti via publica et regia pararetur. Plato vero in decimo de legibus libro hominem non sibi soli sed humanae societati natum, ideoque non ad privatam desiderationem sed ad Universi constitutionem divinitus regi pronuntiavit et prudentissimis rationibus affirmavit.

Quare, si totum et universum genus humanum non institutum est ad veram plenamque humanitatem nisi perpetua temporum successione ac conjunctione: num singuli homines poterunt eo quo debent, certis firmisque gradibus ac mentibus pervenire, si, quod ipsis prius cogitatum vel traditum fuerit, ignorent aut negligant? Nonne Cicero in Oratoris Capite 34 eum semper puerum manere asseverat, qui antequam natus sit quid evenerit, nequeat aut nolit percipere! — Magnifice Seneca in eo quem de brevitate vitae scripsit libello hominem vere sapientem factâ omnium temporum in unum collatione ac cognitione assimilari Deo monstrat, seculorum omnium sequentium et antecedentium praesentissimo dominatori. Quin ipse ille, qui suo numine divinissimo non novum mundum sed nova in mundo omnia fecit: ipse Jesus Christus apud Matthaeum (XIII. 52) appellat doctum scribam et doctum christianae religionis magistrum, qui ex suo rerum thesauro proferat vetera non minus quam nova.

Quapropter, quicumque ad plenam theologorum christianorum institutionem neget requiri vel desiderari parallelam Graecorum et Romanorum doctrinam: negare idem coactus est providentiae divinae veritatem ac sapientiam, qua contigit, ut orbis terrarum non prius fuerit christianus quam graecus et romanus; — immo vero negare coactus est Christum, cujus nomine ac numine nullum est faustius vel salutaris; Christum negare coactus est gentium omnium salvatorem.

Verumtamen, ut cum pietatis Christianae institutionibus jungamus Graecae ac Romanae honestatis praeceptiones: per generosam quandam et honestam ingeniorum aemulationem excitamur insuper

¹⁾ Quocirca lectu quoque dignus est Alexandri Humboldtii V. C. „Kosmos“ Bd. II, 212 — 236.

2., singularibus et immensis laudibus, quibus Sapientiae Christianae hostes philosophiam quam vocant classicam non exornant solum sed efferunt.

In his enim Graecorum et Romanorum libris atque oraculis integram et plenam humanitatis et purae rationis humanae tum formam tum sapientiam sic expressam nullisque pontificiae religionis superstitionibus obscuratam sic jactitant adversarii, ut Rhenkenius, inter Batavos philologus olim celeberrimus, non dubitaverit in Hemsterhusii magistri elogio unicum Polybii librum cunctis Patrum et Doctorum Ecclesiasticorum praeferre voluminibus vel plaustra omnia implentibus.

Quo quidem iudicio nihil potest aut iniquius aut ineptius cogitari. Nam ut omittamus, copiose in praesenti monstrare, quantopere apud illum, qui Deum colit non Epicureum aut Stoicum sed Christianorum, ipsi rationi repugnet commentitia illa unius soliusque rationis humanae quasi unicae parentis doctrina; id certe jam eniti viris equisque debemus, ut tot tantisque praeconiis celebratam veterum philosophorum doctrinam neutiquam praestare sed superatam cedere Christianae Sapientiae ac Sanctitati, demonstramus clarissime.

Etenim quaeenam sunt certissima salutiferae et sanctae doctrinae insignia? Nolumus respondere vobis, Commilitones, quorum auctoritas nostra forsitan est non aliena a partium studio; — respondeat pro nobis Seneca, nobilissimus de Stoa philosophus. Et is quidem in sua ad Polybium Consolatione: „Ea, inquit, amabilia studia, quae et optime felicitatem extollunt et facillime minuunt calamitatem, eademque ornamenta hominum maxima sunt et solatia.“

Haec autem ornamenta vitae humanae maxima et vera solatia, num contigerunt studiis Senecae, studiosissimi et generosissimi philosophi? — Minime gentium! — Nam idem ipse Seneca in Quaestionum suarum Naturalium libro Sexto nullam affert miseris consolationem nisi turbam miserorum, quibus una salus sit nullam sperare salutem. Contra S. Paulus, Christi discipulus, cum toto Apostolorum²⁾ et SS. Martyrum christianorum collegio non solum patienti sed laetanti animo contumeliam fert pro Christi nomine, dum ipse Cicero, quamvis omnium ante se sapientium hominum tum literis tum institutionibus exstructus fuerit ac formatus, in libro tamen altero Tusculanarum Quaestionum: „Ego, inquit, non tantam vim tribuo sapienti contra dolorem; sit fortis in perferendo; officio satis est; ut laetetur etiam non postulo.“

²⁾ Act. Ap. V, 42. Optime S. Hieronymus comment. ad Ephes. III, 20. „Christianorum propria virtus est etiam in his quae adversa patiuntur, referre gratias Creatori.“ —

Unde quid agnoscatis, Commilitones carissimi, nisi repetitam comparationis a nobis commendatae necessitatem; qua repudiata vel neglecta neququam plena Sapientiae Christianae divinitas et majestas poterit agnosci.

Neque vero 3. quasi tertium hujus comparationis invitamentum deest nobis, Commilitones, praeclarissimorum et sanctissimorum in Ecclesia christiana Doctorum suffragium ipsumque exemplum. — Sufficiat quoniam in tribus testibus constituta omnis est veritas: sufficiet S. Basilium Magnum, S. Hieronymum et S. Augustinum, triumviros ab ingenio et pietate spectatissimos instar omnium appellasse. Quorum quum primus ab omnibus temporis sui aequalibus cum ipso Elia vel Mose comparatus, non detrectaverit de poetarum graecorum legendorum ratione ad juvenes habere orationem elegantissimam: tertius mehercule is est, in cujus unius ingenio christiano quasi unico tabernaculo ac contubernio Platonis sublimitatem et Aristotelis subtilitatem divina constituisse liberalitas videatur. Hujus S. Augustini aureos de Civitate Divina libros, quis vestrum non legerit —, vel omnigena totius antiquitatis graecae ac romanae doctrina refertos, quis vestrum non agnoverit, Commilitones Carissimi? S. autem Hieronymi in hac causa nostra vel binos adversus Jovinianum libros quasi testes in medium proferimus. Quamquam Hieronymum possit aliquis forsitan opponere ipsi Hieronymo, quando is somnians apud tribunal coeleste constitisse simulque vapulasse acerrime traditur utpote homo non christianus sed Ciceronianus propter crebram scilicet veterum scriptorum lectionem et commendationem. Sed idem ipse S. Hieronymus somnii sui narrator, quum reus capitis accusaretur a Ruffino: eidem ut solet acriter et facete, respondit, somniis haud esse credendum; — et in ea quam ad Magnum quendam Romae rhetorem dedit epistola, longo ordine ac indice clarissimos Graecae ac Latinae Ecclesiae christianae Doctores eo consilio recenset, ut literarum, quas vocant classicarum et usum et methodum ostendat. —

Quae quum ita se habeant; nolite Commilitones carissimi, dum Sacrosanctae Theologiae operam navatis, liberalia humanitatis studia negligere, praesertim quum in Lyceo nostro Hosiano utrorumque studiorum facilis promptaque vobis contingat opportunitas. Qua opportunitate quum pro vestra pietate ac religione religiose usi fueritis: efficietis profecto, ut vel ii qui a nostra Ecclesiae Christianae communione dissident, eam neququam humanitati ac rationi adversariam sed amicam intelligant et agnoscant. Ut, quod volumus paucis probemus et pronuntiemus: studiis vestris, commilitones carissimi, Christum adumbrate *θεάνθρωπον*, cujus persona quoniam cum coelesti divinitate humanitatem terrenam et individuam conjunxit, sapientiam et salutem universo generi humano totique mundo adtulit infinitam et sempiternam! — —

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

ANT. EICHHORN, DR. P. P. O. H. T. DECANUS.

- I. Historiam aevi tertii narrabit quotidie hora IX—X.
- II. Patrologiam tradet diebus Lunae et Jovis hora III—IV.

PETR. THEOD. SCHWANN, DR. P. P. O.

- I. De Deo Uno et Trino disseret diebus Lunae, Martis et Jovis hora VI—VII.
- II. De Gratia et Justificatione aget diebus Lunae, Martis et Jovis hora X—XI.
- III. De Sacramentis generatim d. Veneris h. X—XI.

FRANCISCUS BITTNER, DR. P. P. O.

- I. Theologiae moralis repetitiones instituet dd. Lunae, Mercurii et Veneris h. VIII—IX.
- II. Actus SS. Apostolorum interpretabitur excepto Sabbato quotidie hora XI—XII.

MICH. JOS. KRÜGER, LIC. P. P. E.

- I. De antiquitatibus sacris Hebraeorum disseret diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora X—XI.
- II. Evangelium Joanneum explicabit diebus Martis et Jovis hora VIII—IX, nec non diebus Mercurii et Veneris hora III—IV.
- III. Hoseam interpretabitur die Saturni hora VIII—IX.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, DR. P. P. O. H. T. RECTOR ET DECANUS.

- I. Exercitationes geometricas moderabitur, praemissa introductione de studiis mathematicis recte ordinandis, diebus Lunae et Jovis hora XI—XII.
- II. De chronologia et de Calendario Juliano et Gregoriano disseret diebus Martis, Mercurii et Veneris hora XI—XII.

- III. De vi electrica et galvanica disseret, et exercitationes physico-mathematicas instituet bis per hebdomadem diebus Lunae et Jovis hora II — III.
- IV. Climatologiam docebit, et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Martis et Veneris hora II — III.

CAR. BIESTER, P. P. O. DES.

- I. Sophoclis Antigonem tractabit diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora II—III.
- II. Taciti Annales interpretabitur diebus Lunae, Martis et Jovis hora X — XI.
- III. Virgilii Georgica diebus Mercurii et Saturni hora X — XI.
- IV. Aut Lactantii institutiones divinas, aut Minutii Felicis Octavium explicabit bis per hebdomadem horis definiendis.

MAX. TRÜTSCHEL, DR. P. P. O. DES.

- I. Psychologiam empiricam docebit quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hora mat. VIII—IX.
- II. Logicam docebit quinquies per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris hora vespert. V—VI.
- III. Praecipuos libros Metaphysicae Aristoteleae offert interpretandos.
- IV. Examina, repetitoria et disputatoria instituet die Saturni hora definienda.

STIPENDIUM SCHEILLIO-BUSSIANUM.

Ordo theologorum commentationem de Pelagianismo, cujus historiam anno 1848 ad certamen literarium proposuerat, praemio XXI thalerorum dignam censuit et

Joanni Kryn, Christburgensi
stud. theol.

adjudicavit.

ORDO LECTIONUM CHRONOLOGICUS.

I. LECTIONES ANTEMERIDIANAE.

HORA.	LECTIONES THEOLOGICAE.	LECTIONES PHILOSOPHICAE.
VIII — IX.	Theologiae Moralis repetitiones, DR. BITTNER 3. Evangelium Joanneum, LIC. KRÜGER 3. Hosea, LIC. KRÜGER 1.	Psychologia empirica, DR. TRÜTSCHEL 4.
IX — X.	Historia aevi tertij, DR. EICHHORN 6.	
X — XI.	De Gratia et Justificatione, DR. SCHWANN 3. De Sacramentis, DR. SCHWANN 1. De Antiquitatib. Hebraeor., LIC. KRÜGER 3.	Taciti Annales, BIESTER 3. Virgilii Georgica, BIESTER 2.
XI — XII.	Actus Apostolor., DR. BITTNER 5.	Exercitationes geometr. etc., DR. FELDT 2. Chronolog. et de Calend. Juliano et Gregoriano, DR. FELDT 3.

II. LECTIONES POMERIDIANAE.

II — III.		De vi electrica et galvanica etc, DR. FELDT 2. Climatologia et usus instrumentor. meteorologicor. DR. FELDT 2.
III — IV.	Patrologia, DR. EICHHORN 2. Evangelium Joanneum, LIC. KRÜGER 2.	Sophoclis Antigone, BIESTER 2.
V — VI.		Logica, DR. TRÜTSCHEL 5.
VI — VII.	De Deo Uno et Trino, DR. SCHWANN 3.	
Adhuc de- finienda.		Aut Lactantii institut. divin. aut Minutij Felicis Octavius, BIESTER 2. Libr. praecip. Metaphysicae Aristoteleae, DR. TRÜTSCHEL Examina repetit. et disputator., DR. TRÜTSCHEL 3.

